DE

AETIOLOGIA FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. MAJI A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ANTONIUS NUEBEL

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

G. FROELING, med. et chir. Dr., med. pract.

F. ELLENDORF, med. et chir. Dr.

F. KLEY, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO, MAXIME DE SE MERITO

A. WERLITZ,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO LEGIONI TORMENTARIAE VII PRAEPOSITO, COMPLURIUM SOCIETATUM DOCTARUM SODALI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

DILECTISSIMO, ATQUE SIBI AMICISSIMO

B. ZUMBROCK,

MERCATORI

VIRO

REVERENDISSIMO, HUMANISSIMO, COGNATO SIBI CARISSIMO

W. DIEKMANN,

VERBI DIVINI MINISTRO

H A S C E P A G E L L A S

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

LITTERATURA.

Rich. Morton: Pyretologia, seu exercitat. de morbis universalibus acutis. London. 1692.

Paul Gottl. Werlhoffii opera P. I. Observationes de febribus praecipue intermittentibus. Edit. II. Hannov. 1743.

Franc. Torti: Therapeutice specialis ad febres periodicas perniciosas. Francf. et Lips. 1756.

Coling: De febribus intermitt. cognoscendis et curandis. Argentor. 1760.

W. Trnka de Krzowitz: Historia febrium intermittentium. Vindobonae 1775.

M. Hall: Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus. Vindob. 1785. Aphorism. 395—467.

Sauvages: Nosolog. method. Amstel. 1786. T. II. P. I.

C. Strack: Observationes medicinales de febribus intermittentibus et qua ratione eisdem medendum est. Offenbach 1787.

Thomson: Treatise on the febris intermittens. London 1787.

Van Hoven: Versuch über das Wechselfieber und seine Heilung, besonders durch China, 2 Th. Winterthur 1789.

S. G. Richter: Handbuch der pract. Arzneiw. 1789.

F. C. Medicus: Geschichte der periodischen Krankheiten. Frankf. u. Leipzig 1795.

P. Frank: De febribus periodum habentibus observationes novae. Vindobon. 1797.

Chr. Reich: Vom Fieber. Berlin 1800.

Marcus: Entw. einer spec. Therapie. Nürnb. 1807.

Ackermann: De cognosc. construend. et cura febr. Heidelb. 1809.

Kortum: Bemerkungen über das Wechselfieber. Hufeland. Journal Bd. 15.

F. J. C. Sebastian: Ueber die Sumpfwechselfieber im Allgemeinen und vorzügl. über diejenigen, welche in Holland epidem. herrschen. Karlsruhe 1818.

Alibert: Paris 1820. Edit. V.

J. Chr. Reil: Ueber Erkenntniss und Kur der Fieber. Halle 1820.

C. M. Bailly: Traité anatomico-pathologique des fièvres intermittentes simples et pernicieuses. Paris 1825.

J. B. Munfalcon: Ueber die Sümpfe und die durch die Sumpfausdünstungen hervorgerufenen Krankheiten. A. d. Franz. frei bearbeitet v. Heyfelder. Leipzig 1825.

F. J. Schneider: Ueber den sporad. Typhus und das Wechselfieber. Tübingen 1826.

G. Backes: Epidemia, quae anno 1826 Groeningam afflixit, in brevi conspectu posita. Groening. 1826.

Fricke: Erster Bericht über die Reise nach Holland etc. zur Erforschung der im Sommer und Herbste dort geherrschten Krankheiten. Hamburg 1826.

Derselbe: Zweiter Bericht etc. etc. Hamburg 1827.

J. G. Mulder et M. A. Rölants: Bydrag tot de Geschiedeniss der thans in ons Vaderland herrschenden Ziekte. Libellum libro a Fricke additum.

Thoelnessen et Thuessink: Ueber die Epidemie in Gröningen. Aus d. Holländ. von Gittermann. Bremen 1827.

Edler v. Reider: Untersuchungen über d. epidem. Sumpffieber etc. Leipzig 1829.

J. H. Schmidt: Beiträge zur Staats-Arzenei-Wissenschaft. I. Bd., zur Epidemien Lehre. Paderborn und Arnsberg 1830.

F. A. G. Berndt: Fieberlehre. Leipzig 1830.

Raimann: Handbuch d. speciellen Pathologie und Therapie. 5te Edit. Wien 1832.

Conradi: Specielle Pathologie und Therapie.

F. A. G. Berndt: Klinische Mittheilungen. I. Heft. Greifswald 1833.

Kremers: Aachen 1837.

E. D. A. Bartels: Die gesammten nervösen Fieber, in sich begreifend die eigentlichen Nervenfieber, nebst den Fieberseuchen und Wechselfiebern etc. Berlin 1838.

L. Schönlein: Specielle Pathologie und Therapie etc. St. Gallen 1839. Bd. IV.

Derselbe: Vorlesungen über Intermittentes. Berlin 1844.

Eisenmann: Die Krankheitsfamilie Typosis. Zürich 1839.

Encyklopaedie der gesammten Medicin im Vereine mit mehreren Aerzten herausgegeben von C. Chr. Schmidt. Leipzig 1840.

Baumgaertner: Handbuch der speciellen Krankheits- und Heilungslehre etc. Stuttgart 1842.

Scripta alia in quibus agitur de rebus huc pertinentibus, quibus usus sum in dissertatione ipsa sub textu invenienda sunt.

DE AETIOLOGIA FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

I.

De universalibus causis disponentibus.

Praestantissimus quisque observatorum non dubitabit, qua de re omnes fere medici conveniunt, quin inter omnes, quibus obnoxium est imbecille genus humanum, morbos nullus utique et familiarior et vehementior et magis dubii eventus existat, quam febrium intermittentium cohors. Quod si nobis argumentis probare opus esset, facillime ex cujusvis febris intermittentis endemiae atque epidemiae assidua et attenta observatione declararetur. Ut naturam et indolem hujusce morbi gravioris cognoscamus, necesse est, anni tempus, quo imprimis febres intermittentes homines infestant, et locum, ubi grassantur, et aëris tempestatisque statum, qui earum ortui maxime favet, inquiramus, quum ex his momentis universalibus triplex propagationis formá, sporadica scilicet, et endemia et epidemia pendeat.

Quamquam omni anni tempore febres intermittentes in conspectum veniunt, plurimae tamen observatae sunt non hieme atque aestate media, sed potius ineunte vere et autumno, quae anni tempora perversionibus justae aëris condi-

tionis ac vicissitudine tempestatis insignia sunt. His enim temporibus nive liquata, pluvia nimis frequente, fluviorum inundationibus atmosphaera fere semper humidam habet indolem frigidam, et temperatura plerumque maxime inconstans adest, quum praesertim calor et frigus haud leve subito inter se variare soleant.

Transeamus ad loci opportunitatem. Febres intermittentes maxime occurrunt in terra humiliori, paludosa, vallibus montium nivosorum, et illud praecipue amant solum, quo plantae cryptogamicae luxuriosam vitam agunt, terram limosam et lutosam occupant (1). Sicut vero plantae intra certos tantum altitudinis ac latitudinis geographicae gradus crescunt et florent, ita febres intermittentes quoque, ut morbi in universum, in certis solum regionibus proveniunt ac vigent. In terris calidioribus et magis ad meridiem vergentibus, veluti in Dacia, Italia inferiore, Sicilia, nonnullis locis Galliae meridionalis, in Hispania, in terris transatlanticis, in mediis civitatum Americae septemtrionalis consociatarum provinciis vere atque aestate ineunte febres intermittentes vehementissimas ac perniciosissimas invenimus. In terris, quas dicunt tropicas, in provinciis Americae australis septemtrionalibus, in australibus provinciis civitatum Americae septemtrionalis confoederatarum, per magnam Africae orientalis partem totum per annum febres intermittentes gravissimae occurrunt. Terminus igitur circuli aequinoctialis febrium intermittentium omnino non reperitur: terminum vero quod attinet polaricum, in regione Europae occidentali morbum observare potes usque ad insulas, quas

(1) Sebastian lib. not.

dicunt „Shetlands,“ in septemtrionali usque ad nonnullos gradus supra Upsalam: in terris ad orientem vergentibus, praecipue in Asia media supra gradum 56—57 transire non videtur. Si igitur linea quadam propagationem intermittentium describere velis, curvam efficias, qualis cum linea curvae isothermicae Humboldtii consentiat. Praeterea febres intermittentes, nisi aliae res inimicae accedunt, certa utuntur altitudine. Itaque in locis nivalibus nunquam, in altis vero montibus, nisi ventis aut aliis conditionibus eo deferuntur, raro epidemiae occurrunt. —

Gravissima causa universalis est propria aëris natura, quae e conditionibus locorum, supra quos versatur, enascitur. Qui quidem aër proprius, febrium intermittentium ortui opportunus, „Malaria“ e morbosis exhalationibus oritur, aut e rebus alienis forma aëris ei admixtis. De qualitate hujus Malariae multae existunt hypotheses. Secundum chemicam analysin a Moscati et Vauquelin institutam, quacum novissimae inquisitiones hac de re maximam partem consentiunt, aëri acidum hydrothionicum et aliquid acidi hydrophosphorici atque hydrocarbonici immixtum est (1). Auctore Daniel gas SH imprimis praevalere videtur. Praeterea alia etiam inveniuntur gasa: C,PH,CH,N. Thouvenal electricitatem negativam in Malaria praevalere demonstravit (2). Aliae investigationes alia et praebuerunt et praebebunt. Quamobrem hisce

(1) Buttermilch, de affinitate febr. intermitt. cum typhis. Dissert. Berol. 1842. pag. 17.

(2) Frank, de causis febr. intermitt. Dissert. Berol. 1843. pag. 7.

omissis, de origine ac fonte Malariae accuratiora, experientia maxime probata, afferam.

Cullen contendit, Malariam semper ex paludibus originem ducere, nonnulli contra scriptores recentissimi temporis miasma paludosum omnino repudiaverunt. Utramque sententiam autem experientia refutavit, quum et loci non paludosi aeque ac paludosi febri intermittente vexentur, et febres intermittentes oriantur atroces in regionibus, ubi paludes fortuito existunt, cujus rei optimum argumentum narrat Schoenlein (1). Observavit enim in Helvetia, paludibus labe montis ortis, febres intermittentes epidemicas, quae quidem paludibus exsiccatis sensim rariores redditae sunt. Paludes vero propterea, quod paludes sunt, Malariam nequaquam formant, sed quod in iis amplissima quasi sepulcra vegetabilium atque animalium putrescentium inveniuntur. Fontes Malariae ergo putredo simulque, ut Reiderer multa demonstravit sagacitate, contemporanea aquae decompositio habendae sunt.

Alter Malariae fons in aqua, quam vocant maris adcolae „Brackwasser," quaerendus est. Est aqua illa commixtio aquae dulcis ac marinae, quae stagnat et calore putrescit, e qua putredine miasma illud intermittentibus proprium gignitur. Aquam istam perniciosam in oris maritimis mare aggeribus expulsum atque in propinquas terras profundas effusum relinquit. Imprimis vero sub hisce conditionibus Malariam nascentem adjuvant regiones soli argillosi ac limosi, quippe quibus aquam non permanare sinentibus calori, qui primas partes agit in putredine efficienda, longius temporis spatium

---

(1) Schoenlein in praelect.

tribuatur ad ipsius vim augendam. Exemplum clarissimum praebet febrium intermittentium epidemia Hollandica anni 1826, quae unius anni spatio vix praeterlapso maris diruptionem atque inundationes longe extensas sequebatur (1). Item Doeverenius sub saeculi praeteriti finem salubrem Groeningae urbis situm laudat, quippe febres intermittentes priore tempore epidemiae, paludibus exsiccatis expulsae videbantur, sed maris invasio et duae deinde subsequentes aestates calidissimae eas mox reduxerunt (2).

Tertium postremo fontem, ex quo Malaria exire potest, in terris vulcaniis reperimus, de quo Carus optime disseruit (3). In illis terrae partibus, in quibus vulcania natura etiamsi decrescat, tamen non prorsus exstincta est, eximie conspicitur miasma illud febres intermittentes gignens. Sic trans Apenninos in Marenga, quam vocant, ab Arno usque ad portam Terracinae adamantinam porrecta, ubi sola vulcanea est terra, creberrimas observare licet febres intermittentes (4). In scripto „The Edinburgh Philosophical Journal, April — Juli 1834“ plures invenies observationes (5). Sicut Malaria paludoso miasmate composita aërem atmosphaericum gasis irrespirabilibus impraegnat, ita, dum in terris evadit vulcaniis, Malaria aëri atmosphaerico, ut Alexander ab Humboldt sagaciter demonstravit, gasa imprimis oxygenium detrahit.

(1) Fricke, J. G. Mulder et M. A. Roelants.

(2) Cf. G. Backes, Thoelnessen et Thüssink.

(3) Analekten auf einer italienischen Reise.

(4) Frank l. c. pag. 27.

(5) Fror. Not. No. 902, No. 22. T. XLI. translat.

II.

De individualibus causis disponentibus.

Sunt, qui contendant, hominibus solum dispositionem ad intermittentes inesse (1), exemplis tamen contraria comprobantur: tempore enim recentiore animalia, praecipue domestica, ubi intermittentes essent epidemiae, illi morbo obnoxia esse animadversum est. Ita Czermak canem ac simiam capucinam febri intermittente tertiana correptos observavit (2), et medici Anglici equos quoque ea affectos videbant (3). Multo saepius quidem, aut quod causa morbifica vehementius eos invadit, aut quod eorum natura non tam valida est, ut morbum oppugnet invalentem, in typhum incidunt.

Homines vero prae ceteris animalibus ad intermittentes sunt dispositi. In eorum vita enim singulares vitae partes, typus partialis, minus in totam ejus evolutionem, in typum universalem implicatae sunt.

Itaque magis apertas et distinctas eas cernis, quod denuo de functionibus altioribus imprimis constat. Tum homo singularis cum genere ejusque evolutione non tam, quam animal penitus est conjunctus: quam ob rem in illo typus partialis atque intermittens praecipue valent. Denique hominum vita vegetativa distinctius vitae animali est apposita, e quibus ty-

(1) Baumgaertner lib. not. T. II. pag. 65. Schoenlein l. c. pag. 6.

(2) Med. Jahrbücher T. XV. St. II. pag. 277.

(3) Buttermilch l. c.

pus intermittens videtur pendere. Nulli quidem constitutioni, nulli temperamento intermittentes parcunt, omnemque et sexum et aetatem corripere non dubitant. Infans in cunis recumbens, juvenis ac senex baculo innixus istis succumbunt. Specifica ad intermittentes dispositio igitur in hominibus vix animadverti potest. At omni caret dubio, nonnullos homines prae ceteris, positis quibusdam conditionibus, majore proclivitate ad febres intermittentes praeditos esse. Si ad constitutionem aetatemque respicis, homines constitutione lymphatica instructos, corpora juvenilia maxime vigentia, sicuti homines in vitae flore saepissime morbo illo tangi, ex variis patet observationibus. In universum vero tenendum, in puerili aetate dispositionem ad febrem intermittentem valde exiguam esse, in prima infantia paene plane deesse, omninoque usque ad decimum vitae annum tam parvam esse, ut febres intermittentes hac aetate raro inveniantur. Cum pubertate crescit haec dispositio usque ad aetatem virilem, abs qua rursus diminuitur.

Sic quoque major aegrotandi praedispositio occurrit in quibusdam vitae conditionibus, in quibus adaucta adest vis vitalis, ut in graviditate atque in puerperio (1).

Simili modo homines, qui aëris momentis minus resistere possunt, qui cutem habent teneram, vulnerabilem, qui systemate nervorum irritabili, erethistico praediti sunt, saepius febri intermittente tentantur, quam homines quadrati, robusti. Sic hi quoque, qui animum ac corpus supra modum stimulabant, facilius succumbunt. Victus defectu vel cibis male pa-

(1) Schoenlein l. c. pag. 8.

ratis, usu ciborum concoctu difficiliorum, corpus aptius reddi ad febres intermittentes ineundas, nobis jam patet, si majorum epidemiarum historiam perscrutamur. Attamen non solum nutrimenti penuria, verum etiam ciborum excitantium cruditas nociva est, et corpus ad morbum illum proclivem reddit, imprimis potuum spirituosorum abusus. Quam ob causam homines, qui spirituosorum fructui immodico nimis se dederunt, parva tantum causa occasionali allata febri intermittenti implicantur. Praeterea corporis debilitatio contentionibus, defatigatione nimia, ut omnino ad morbos, imprimis ad febres intermittentes propensos reddit homines. Quam rem maxime experti sunt medici militares, quippe optime scientes, militem magnis molestiis fatigatum, praesertim si fame sitique simul prematur, potissimum intermittentibus tentari. Hasce vero vitae conditiones ac casus tum solum febres intermittentes excitare, quum exquisita adsit dispositio universalis, satis constat.

Deinceps organa abdominalia debilitata, reconvalescentia ex febri praegressa praecipue gastrica, status pituitosus, gastricismus saepius iteratus omnesque viscerum abdominis morbi, praesertim cum posteriores febri intermittente sublevata supersint, febri intermittenti formandae maxime favent. Qui denique statu atrabilario laborent, eos intermittentibus tam atrocibus tentari, quae omnem medici curationem frustrentur, experientia nos affatim edocet (1).

Maxima aegrotandi dispositio postremo existere solet in hominibus, qui prius eodem morbo jam laborabant, quum fe-

---

(1) Berndt lib. not. T. I. pag. 613.

bris intermittens superata, sicuti omnes status morbosi, spasmis insignes, impressionem sic dictam nervosam relinquat. Qui igitur febri intermittente semel laboravit, non perinde, ut in aliis morbis, tutus est, ne iterum eadem tentetur: e contrario, quo saepius illa laboravit, tanto facilius graviusque aegrotat. Reil pluresque alii volunt, alterum ac tertium febris intermittentis ortum nihil esse nisi recidivam primariae intermittentis non omnino sanatae, sed in breve tantum tempus suspensae. Sic erant, quorum morbi impetus semper leviter praeterirent, et tandem quindecim annis praeterlapsis tam vehementes fierent, ut aegroti diu lecto tenerentur (1).

Notatu mihi dignum videtur, febres intermittentes infeste in nonnullos morbos alios sese habere. Ita experientia cognitum est, homines phthisicos rarissime istis corripi, et si hoc fiat, symptomata tuberculoseos maxime recedere, ac deinde febri superata, aegrotos vi renovata priori morbo vexari. Quae conditio non solum in singulis hominibus, sed etiam in universo morborum statu reperitur, nam et illis in locis atque iis temporibus, in quibus febres intermittentes frequentissimae sunt, phthisis pulmonum tuberculosa rarissime observatur (2). Pari modo sese habent ad exanthemata volatilia (3). Eadem virtus et tussi convulsivae, scabiei (4), nonnullis aliis impetiginibus, vel syphilidi tribuitur. Sufficiat hanc rem summa contemplatione dignam tantum attigisse,

---

(1) Schoenlein l. c. pag. 7.

(2) J. H. Schmidt.

(3) Ibidem pag. 79 et 104.

(4) van Hoven §. 78.

quod ferme omnes medici scriptores excellentissimi optime de ea disseruerunt.

III.

De causis occasionalibus.

Maxima est causarum occasionalium copia, quae interna data dispositione febres intermittentes excitare valent, quum omnes res noxiae, quae aliis conditionibus rheumatismos vel catarrhos vel pneumoniam vel alios morbos in lucem proferunt, causis praedisponentibus praecipue universalibus allatis, febres intermittentes gignere soleant.

Frequentissimae vero causae sunt, quae vim nocivam ad cutem habent ejusque secretionem supprimunt, perfrictiones ac permadefactiones subitae. Homines, qui in cubiculo humido, aurae permeanti exposito, fenestris apertis somno fruuntur, febri intermittente celerrime tentantur, quippe quum ibi Malaria per noctem crebrior formetur. Maxime nocet frequens temperaturae mutatio, commoratio in loco humido ac frigido, in moenibus aqua stagnante cinctis, littore, ripa valleque montium nivosorum, cubitus in solo paludoso, praecipue post solis occasum. Praeterea homines febri intermittenti potissimum implicantur, qui patria relicta in loca paludosa, aut ex altioribus locis in humiliores se conferunt. Ita milites Germanici ac Francogallici, castris in Hollandia positis, magis quam reliqui ad febres intermittentes fuere proclives, sicut Europaeos in regiones tropicas venientes iis

maxime vexari constat (1). Denique notum est, hominibus qui jam laboraverint intermittentibus maxime ab aqua cavendum esse: nam saepe accidit, ut tales homines aquas transeuntes denuo febri intermittente petantur.

Nec minus nutrimenta aut nimis avide, aut nimia quantitate, aut contra fortuitam idiosyncrasin assumta, victus depravatus, vilis neque aptus ad concoquendum; sordes gastricae, quo omnis colluvies pravorum in primis viis pertinet humorum, praesertim bilis nimis copiosae aut corruptae; heterogenei stimuli intestinorum, vermibus, calculis excitati, causam praebent febrium intermittentium. Idem dici potest de secretionibus et excretionibus nimis auctis, quae et vegetationem generatim et praecipue systema gangliorum debilitant. Haec res maxime eo comprobatur, quod remediorum drasticorum e regno salino usus *justo crebrior* febrem intermittentem saepius excitavit (2). Saepe intermittentes secretiones et excretiones consuetas suppressas sequi videmus. Van Hoven scabie repulsa febrem intermittentem existere observavit (3).

Vitia organica non raro causam nascentis febris intermittentis praebere, jam satis notum est. E multis, quae huc pertinent, pauca modo referamus exempla. P. Frank refert: „In museo pathologico R. Universitatis Ticinensis osteosteatoma uteri conservatur, quod in cadavere aegrae detectum fuit, quae febris intermittentis singula symptomata exhibuerat (4).“

---

(1) Sebastian l. c.

(2) Berndt l. c.

(3) l. c. §. 21.

(4) P. Frank, opusc. posthum. Vindob. 1824. pag. 93.

Hoffmann: „morbum, adspectum febris intermittentis prae se ferentem, ipsa aliquando graviditas induit (1).“ Idem auctor ad lepram febrem intermittentem accedere vidit.

Home commemorat, in angustatione urethrae, in suppuratione vesicae urinariae vel prostatae febriles incessus, omnibus febrium intermittentium symptomatibus stipatos, praesertim frigore corpus concutiente ac largis sudoribus, pluries observatos esse (2).

Vorwaltnerus: „Febris, ait, quarto quovis die accedens, silensque post 120 calculorum biliosorum evacuationem (3).“

Plures casus similes addere supervacaneum, quoniam isti jam sufficiunt.

Alius causarum occasionalium ordo est, ubi fortibus viribus systema nervorum afficitur. Huc pertinent animi perturbationes, adfectus ac motus: ut laetitia subita atque immoderata, terror gravis ac repentino invadens, vehemens metus, ira subito mota: moeror quoque ac sollicitudo, curae animum agentes. Inter quas affectiones psychicas terror ac metus, ut experientia docet, neque medici negant, locum tenent principem.

Restat ut memoremus, quo modo fiat, ut febres intermittentes contagio quodam propagentur.

---

(1) Hoffmann, system. rational. T. IV. Sect. I. C. III.

(2) Ev. Home, practical observations on the treatment etc, London 1797. pag. 64.

(3) G. M. V. Eph. Nat. Cur. Dec. III. a. 5. 6. obs. 109.

Alii, ut Meibom (1), Bianches (2), van Hoven (3), Trnka de Krzowitz (4), eas affirmant contagio disseminari, aliis hanc sententiam prorsus falsam dicentibus. Quamquam observatum est, homines sanos, quum febri intermittente laborantibus concubuerint, vel illorum vestimentis usi sint, morbo eidem esse implicatos: tamen suspicio contagii procreandi non de omnibus illis febribus proponi potest, sed tantum de epidemiis. Initio quidem non omnes morbi epidemii simul contagiosi sunt: paulatim vero morbi epidemii contagium gignunt et hocce contagio magis divulgantur. Febris intermittens epidemia eo facilius contagium producit, quo gravior morbi vehementia est, quo magis in totum processum vegetativum organismi penetrat et proprium metamorphosis organicae typum procreat, ex quo specificum morbi semen oritur, quod alios organismos inficit.

IV.

De febrium intermittentium causa proxima.

Multae quidem existunt opiniones ac conjecturae excellentissimorum in rebus pathologicis virorum de causa proxima febris intermittentis, quae tamen in universum in duas sententias fundamentales referri possunt, quarum altera in materiali,

---

(1) L. c. §. 8.

(2) Histor. hep. pag. 745.

(3) L. c. §. 22.

(4) L. c. Vol. I. pag. 121.

altera in dynamico quodam nocivo causam proximam ponit. Secundum antiquorum medicorum judicium causa proxima in cruda quadam materia, aut in succo gastrico pancreaticove vel in bile, aut in ipso sanguine depravato praecipue collocata erat. Sic febrem intermittentem quotidianam a muco, tertianam a bile, quartanam ab atra bile deducebant (1). Seriore tempore causam proximam in affectione nervosa quaerendam putabant. Alii affectionem spasticam nervorum cerebro-spinalium, alii, ut Reich, medullae spinalis membranarum inflammationem, alii, ut Tissot et Reil, malam systematis gangliosi conditionem accusabant, quam sententiam plurimi medici nunc sequuntur. Uberius de hac re disseruere Schneider, Baumgaertner, Berndt (2). Febrem intermittentem volunt e perversa dynamica actione gangliorum peculiari, eorumque effectu noxio in viscera abdominalia, imprimis in organa, quae reproductioni ac nutritioni inserviunt, oriri. Quod placitum eo comprobari putant, partim quod causae, quae febrem intermittentem provocare solent, praecipue in systema gangliosum obnoxie agant, partim quod vitia vegetationis atque organorum vegetationi inservientium febrem intermittentem subsequantur, partim quod e salutari Chinae effectu nec non morbi periodicitate gangliosi systematis aegrotationem suspicari liceat.

Alii contra causam proximam in depravato sanguinis statu posuerunt. Jam Sydenham sanguinem incusavit, quum materiam diceret febrilem in sanguine ipso oriri, ortamque

---

(1) Berndt l. c.

(2) Cf. ll. cc.

in eo ad talem cumulari gradum, qualis aptus sit ad paroxysmum ciendum, febri deinde illam coqui, coctamque corpore expelli, relicta vero semina per apyrexiam augeri, quibus denuo paroxysmus commoveatur. Nostris temporibus praesertim anatomiae ac chemiae pathologicae ope processus febrium intermittentium cognitio reddita est clarior.

Experimentis institutis edocti sumus, mixtionem sanguinis febri intermittente laborantibus maxime alteratam esse. Globuli sanguinis enim et prae caeteris sanguinis elementis cruor diminuti sunt ac liquor sanguinis, quem dicimus serum, praevalet. Jam Vogel liquorem sanguinis e vena missi in febri intermittente auctum et tum subflavo, tum subviridi colore praeditum esse commemorat. In eundem Langrish, André, Colombat aliique chemica via inquisiverunt et copiam seri, quo vehementius ac diutius aegroti febri erant correpti, in dies crescentem, corpusculorum vero sanguineorum imminutam invenerunt. (1). Quae res quoque cachexia sic dicta intermittente affatim comprobatur. Qui quidem illas regiones permeavit, ubi febres intermittentes endemiae grassantur, certe non potuit non animadvertere, non solum incolas, licet morbo endemio non correptos, sed etiam hos homines, qui patria relicta in locis, ubi Malaria aërem venenat atmosphaericum, vix breve tempus vitam degunt, humorum statu quodam depravato laborare. Nam eorum facies est pallida, plumbea, lurida, flava, interdum ex flavo fusca, speciem fere icteri gerens, vires eorum sunt debilitatae ac prostratae, coenaesthesis perturbata, animus tristis. Plurimi peculiari quadam animi

(1) Buttermilch l. c. pag. 7.

melancholia laborant, gustum percipiunt metallicum, ex ore edunt odorem specificum, haud dissimilem illi hominum, qui per longum tempus cibis se abstinebant. Ciborum desiderium comminutum, magna organorum digestionis discussio, respiratio tarda, querelis ac suspiriis saepius interrupta, vox debilis, rauca, pulsus frequens, mollis, parvus, urina pallida, parca, turbida. Ad quas affectiones si alias adnumeramus, ut sudores, quos aegroti edunt largissimos et magnam proclivitatem ad exsudationes ineundas, certe depravatam sanguinis indolem huic statui morboso abjudicare non debemus. In hominibus enim, qui diu febribus intermittentibus erant vexati, hydropem atonicum oriri constat, qui eo est insignis, quod nullo modo sub finem paroxysmi in locum criseos cujusdam succedit, aut viscerum infarctibus efficitur, sed sanguinis liquore ex vasorum parietibus exsudato exoritur.

Non minus sectiones hoc morbo defunctorum excellentissima depravati sanguinis vestigia patefaciunt. Quorum gravissima, tum propter eorum frequentiam, tum propter turbationes, quas organismo afferunt, sunt organorum abdominalium emphraxes seu obstructiones, quae sedem habere possunt in omnibus fere visceribus, quae haematopoësi provident, in nullo tamen saepius inveniuntur, quam in liene, ut Pemberton (1), Blackall (2), alii observarunt. De mollitie ac maceratione lienis similia quaedam exempla occurrunt. Hujus-

---

(1) Pemberton, Abhandl. üb. versch. Krankh. der Unterleibsorg. übersetzt v. C. A. M. Bresler. Bonn 1836.

(2) Bemerkungen über d. Wesen u. Heil. d. Wassersucht. übers. v. J. Radius. Leipzig 1821.

modi casus retulit Fricke (1), Mulder, Roelants (2), Backes (3), Bailly (4). Hypertrophiam ejusdem organi invenere de la Motte (5), Pemberton (6), Strack (7). Inter alia abdominis organa in hepate praesertim similes morbi obvii sunt. Postremo notatu dignum nobis videtur, qui febri intermittenti succubuerint, eos nullo modo statim rigorem mortis accipere, sed per longius tempus calorem quendam conservare (8).

Etiamsi hasce omnes alienationes organicas solum e febri intermittente prodire supponamus, tamen mixtionis sanguinis alienatio chemiae ac microscopii auxiliis comprobata et cachexia supra descripta, quae in tali regione non solum homines, verum etiam animalia plantasque ipsas nec non fructus invadit, nos eo ducunt, ut sanguinem primaria affectione corrumpi statuamus. Hanc quidem sententiam extra omne dubium ponit febrium intermittentium origo ex miasmate. Sicuti enim materias acres in animalium sanguinem injectas statum febrilem gignere constat; sicuti contagiis anthracis, gangraenae nosocomialis, ulcerum syphiliticorum, venenis viperarum, hydrophobiae, cadaverum, sanguinis vitalitatem primitive af-

---

(1) Fricke erst. Bericht etc.

(2) Cf. ll. cc.

(3) Cf. ll. cc.

(4) Cf. ll. cc.

(5) Traité compl. de chirurg. Tom. II.

(6) Cf. ll. cc.

(7) Cf. ll. cc.

(8) Buttermilch l. c. §. 9.

fici, Orfila, Fontana, Hertwig demonstrarunt: ita eodem jure statuere nobis licuerit, miasma pulmonibus atque integumentis externis in corpus inductum, primum in ipsum sanguinem agere et vim demum, ejus vitalitate alienata, in systema nervosum exhibere.

VITA.

Natus sum ANTONIUS NUEBEL, fidei catholicae addictus, anno h. s. XIV Kaunitzii, vico comitatus Retbergensis, patre HENRICO et matre THERESIA, e gente SCHWINSTERDT. Primis literarum tirociniis domi imbutus, Retbergae in Gymnasio literis incubui per annos sex. Tempore paschali anno 1833 Monasterium Guestphalorum profectus sum et in Regio instituto medico-chirurgico tres annos et dimidium his praelectionibus interfui: Ill. TOURTUAL de anatomia generali et speciali, de cadaveribus rite dissecandis, de akiurgia, qui idem praeceptor mihi fuit in clinico medico et chirurgico; Cel. WIRTENSOHN de pathologia et therapia generali, de materia medica; Ill. HAINDORF de physiologia; Ill. BUSCH de pathologia et therapia speciali; Ill. PELLENGAHR de pathologia et therapia speciali, de medicina forensi ac castrensi; Cel. KLATTEN de chirurgia theoretica, de ossibus fractis et luxatis, de morbis venereis, de fasciis rite alligandis; Cel. RIEFENSTAHL de rebus anatomicis et chirurgicis; Cel. KLOEVEKORN de arte obstetricia theoretica et practica; Ill. BECKS de botanice et mineralogia, quem eundem praeceptorem in excursionibus botanicis secutus sum; Ill. ROLING de physice experimentali; Cel. SCHMEDDING de chemia experimentali.

Tempore paschali 1837 almam universitatem Berolinensem petii, ibique per annum in clinico ophthalmiatrico et medico Ill. JUENGKEN, Cel. WOLFF mihi duces fuerunt. Tum munere chirurgi militaris suscepto in legione equitum undecima Monasterii Cel. RUDOLPH duce fungebar per quatuor annos et dimidium.

Testimonio maturitatis instructus iterum Berolinum reversus et a rectore magnifico Ill. de RAUMER in numerum civium academicorum receptus, ab Ill. MUELLER, decano ordinis medicorum maxime spectabili, in album ordinis medici relatus sum. Quo facto per tria semestria praeceptores mihi fuerunt in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. JUENGKEN, in clinico medico-chirurgico Cel. TRUESTEDT, in clinico paediatrico Cel. BAREZ.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam tentaminibus tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Digestio actus mere chemicus.
2. Pus nonnisi inflammatione formatur.
3. Pessime vivunt, qui vivunt methodice.
4. Cerevisia non solum nutrimentum praestantissimum, sed etiam insigne medicamentum.